



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Imitatione Christi**

**Thomas <von Kempen>**

**Antverpiae, 1607**

Quòd omnis spes & fiducia, in solo Dei est figenda. 59

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48701](#)

nes magni sunt: quia omnes filii Dei  
vocabuntur & erunt. Minimus erit in  
mille, & peccator centum annorum

*Mat. 18* morietur. Cùm enim quærerent disci-  
puli, quis maior es in regno cælo-  
rum? tale audierunt responsum: Nisi  
conuersi fueritis, & efficiamini sicut  
paruuli, non intrabitis in regnum cæ-  
lorum. *Quicumque ergo humiliauerit*  
*se, sicut parvulus iste, hic maior est in*  
*regno cælorum.*

*Mat. 6.* 10 Væ eis, qui cum parvulis humili-  
iare se sponte deditantur: quoniam  
humilis ianua regni cælestis, eos non  
admittet intrare. Væ etiam diuitibus,  
qui habent hic consolationes suas: quia

*Matt. 5.* pauperibus intrantibus in regnum Dei,  
ipſi stabunt foris eiulantes. Gaudete  
humiles & exultate pauperes, quia  
vestrum est regnum Dei, si tamen in  
veritate ambulatis.

## CAP. LIX.

*Quod omnis spes & fiducia, in solo Deo  
est figenda.*

*Seruus. I* **D**omine, \*quæ est fiducia mea,  
quam in hac vita habeo? aut  
quod maius solatium meum, ex omni-  
bus

bus apparentibus sub cælo? Nónne tu,  
Domine Deus meus, cuius misericor-  
diæ non est numerus? Vbi mihi benè  
fuit, sine te? Aut quando malè esse po-  
tuit, præsente te? Malo pauper esse  
propter te, quàm diues sine te. Eligo  
potius tecū in terra peregrinari, quàm  
sine te cælum possidere. Vbi tu, ibi  
cælum: atque ibi mors & infernus,  
vbi tu non es. Tu mihi in desiderio es:  
& ideo post te gemere, clamare, & exo-  
rare necesse est. In nullo denique pos-  
sum plenè confidere, qui in necessitati-  
bus auxilietur oportunis, nisi in te solo  
Deo meo. Tu es spes mea, & fiducia  
mea; tu consolator meus, & fidelissi-  
mus in omnibus.

2 Omnes, quæ sua sunt, quærunt: tu *Phil. 2.*  
salutem meam, & profectum meum  
solummodo prætendis, & omnia in  
bonum mihi conuertis. Etiam si variis  
tentationibus & aduersitatibus expo-  
nas, hoc totum ad utram meam or-  
dinans, qui mille modis dilectos tuos  
probare consueisti. In qua probatio-  
ne, non minus diligi debes & laudari,  
quàm si cœlestibus consolationibus me  
repleres.

3 In

3 In te ergo , Domine Deus , pono totam spem meam & refugium : in te omnem tribulationem & angustiam meam cōstituo , quia totum infirmum , & instabile inuenio , quidquid extra te conspicio . Non enim proderunt multi amici , neque fortes auxiliarij adiuuare poterunt , nec prudentes consiliarij responsum vtile dare , neque libri doctorum consolari , nec aliqua pretiosa substantia liberare , nec locus aliquis secretus & amēnus contutari : si tu ipse non assistas , iuues , confortes , consoleris , instruas , & custodias .

4 Omnia namque , quæ ad pacem videntur esse , & felicitatem habendam , te absente nihil sunt , nihilque felicitatis in veritate conferunt . Finis ergo omnium bonorum , & altitudo vitæ , & profunditas eloquiorum tu es : & in te super omnia sperare , fortissimum solatium seruorum tuorum . Ad te sunt oculi mei , in te confido , Deus meus misericordiarum pater . Benedic & sanctifica animam meam benedictione cælesti , vt fiat habitatio sancta tua , & sedes æternæ gloriæ tuæ ; nihilq; in templo tuæ dignitatis inueniatur ,

quod

quod oculos tuæ maiestatis offendat.  
Secundùm magnitudinem bonitatis  
tuæ , & multitudinem miserationum  
tuarum respice in me, & exaudi oratio-  
nem pauperis serui tui, longè exulan-  
tis in regione umbræ mortis . Protege  
& conserua animam seruuli tui , inter-  
tot discrimina vitæ corruptibilis , ac  
comitante gratia tua , dirige per viam  
pacis , ad patriam perpetuæ claritatis.  
Amen.

F I N I S.



LIBER